



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Philippi Cluverii[i] Italia Antiqua

Opus post omnium curas elaboratissimum ; tabulis geographicis ære expressis illustratum ...

Philippi Cluverii[i] Italiae Antiquae. Tomus ...

Clüver, Philipp

Lvgdvni Batavorvm, 1624

Cap. V. De Rutulis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14124

OLLICVLVM
opidum;

quorum nonnullos hætenus explicuimus, alios verò infra in Volscis indicabimus, sic tandem concludit: *Ita ex antiquo Latio LIII populi interièrè sine vestigiis.* Vni ex istis *Bubetani* Dionysio quoque memorantur lib. v. Olliculanorum verò opidum OLLICVLVM nescio an Floro quoque, & ex Floro Orosio Iornandique, dictum sit. sic quidpe apud Florum est lib. i cap. vii: *Postremus omnium fuit regum Tarquinius, cui cognomen Superbo ex moribus datum.* Mox: *Sic valida opida in Latio capta sunt, Ardea, Ocriculum, Gabii, Sueffa Pometia.* Eadem verba, ut pleraque Flori alia, in suum librum de Regnorum successione transcripsit Iornandes. Orosius lib. ii cap. iiii: *Opida valida in Latio per eum capta, Ardea, Ocriculum, Sinuessæ Pometia.* Iornandes haud multo post, sub primis consulis ita habet: *Nec secus Latini, Mamilio Tusculano duce, apud Regilli lacum expugnantur, vincuntur, atque subiunguntur. Ocriculum atque Corniculum, Soraque & Algidum, eorum urbes capta, provinciaeque effecta.* De Bovillis, pudet, sed triumphavere Romani. Hæc saltem constabit, corruptum esse vocabulum Ocriculum. sic quidpe apud ipsum est Florum lib. i cap. xi: *Hætenus pro libertate: mox de finibus cum eisdem Latinis adsidue & sine intermissione pugnatum est. Sora (quis credat?) & Algidum terrori fuerunt: Satricum atque Corniculum provincia. de Verulis & Bovillis, pudet, sed triumphavimus.* Quia verò Ocriculi nomine una sola urbs in tota Italia memoratur in omni antiquitate, quæ fuit Umbrorum, hodièque vulgò dicitur *Otricoli*; minimè dubitandum est, quin & priori loco apud Iornandem simulque apud Orosium & ipsum Florum vocabulum id sit corruptum. nec ulla alia vox propius adcedit, quàm prædictum *olliculum*.

De cætero sunt Plinio dicto lib. iii cap. v *Sicani* quoque inter eos antiqui Latii populos, qui sine vestigiis tunc interierant. hos etiam aut corrupto esse vocabulo censeo; aut certè iidem intelligendi, qui Virgilio poëtæ sic nominantur pro Siculis, antiquissimis Latii incolis; ut supra dictum.

CAP. V.

De RUTVLIS.

PRIMIS igitur illis Priscis Latinis ad mare contermini fuere ab ortu Solis hiberni RUTVLI; exiguum terræ angulum incolentes: ut qui hinc Lanuvinorum Latinorum & Laurentium, illinc Antiatiæ Volscorum, intus verò Coriolanorum Volscorum finibus claudebantur. Hos eiusdem generis cum Latinis, & quasi eorum partem fecit Virgilius cum imitatore suo Silio. Virgilius *Aeneid.* lib. vii, de Laviniâ, Latini filiâ:

*Multi illam magno è Latio totaque petebant
Ausoniâ. petis ante alios pulcherrimus omnes
Turnus; avis atavisque potens. quem regia conjux
Adjungi generum miro properabat amore.
Sed variis portenta deum terroribus obstant.*

Exiguo post, Fauni oraculum eâ de re citans:

*Subita ex alto vox reddita luco est
Ne pete connubii natam sociare Latinis,
O mea progenies; thalamis neu crede paratis.
Externi veniunt generi.*

Et postea ipse Latinus ita respondet Ilioneo, Aeneæ legato:

*Est mihi nata, viro quam gentis jungere nostra
Non patrio ex adyto sortes, non plurima cælo
Monstra sinunt. generos externis adfore ab oris.*

Aeneid. lib. xi ita Latinus rex in concilio concionatur:

*Est antiquus ager, Tusco mihi, proximus amni,
Longus in occasum, sineis super usque Sicanos:
Aurunci Rutulique ferunt.*

Hæc omnis regio est celsi plaga pinea montis

Cedat

*Cedat amicitia Teucrorum; & fœderis aquas
Dicamus leges, sociosque in regna vocemus.
Considant, si tantus amor, & mœnia condant.*

Lib. VIII sic fatur apud Euandrum Aeneas:

*Gens eadem, quate, crudeli Daunia bello
Insequitur.*

Gens hæc Daunia erant Rutuli, sic adpellati à Dauno, Turni patre; ut mox videbimus. unde ipse Euander eodem libro infra ita Aeneæ responderet:

10 *Nobis ad belli auxilium pro nomine tanto
Exigua vires, hinc Tusco claudimur amni:
Hinc Rutulus premit, & murum circumsonat armis.*

At eodem libro antea sic Tiberinus deus adfatur Aeneam in somnis:

*Arcades his oris; genus à Pallante profectum;
Qui regem Euandrum comites, qui signa sequenti,
Delegere locum, & posuere in montibus urbem
Pallantis proavi de nomine Pallantum.
Hi bellum adsidue ducunt cum gente Latinâ.*

Sic lib. VIII & XI frequentissimè Turni cum Aeneâ Troianisque dimicantis exercitum promiscuè nunc Latinos nunc Rutulos adpellat poeta. & lib. XII Latinus sic

20 Turno: *Sunt tibi regna patris Dauni, sunt opida capta
Multa manu.
Quid consanguinei Rutuli, quid cætera dicet
Italia; ad mortem siste (fors dicta refutet)
Prodiderim.*

Hinc, quum Saguntus, Hispaniæ urbs, ab Rutulorum urbe Ardeâ orta diceretur, religiosissimus ille Virgilii imitator Silius Saguntinos adpellavit Rutulos lib. I, Romanos verò consanguineos eorum. Verba eius lib. I, ubi Saguntinorum logati Romanam versus navigant, hæc sunt:

30 *Interea Rutulis longinqua per aquora vectis
Herculei ponto cæpere existere colles,
Et nebuloſa jugis attollere saxa Monaci.*

Et paullo post:

Hinc consanguineæ subeunt jam mœnia Romæ.

Et aliquando Laurentis agros facit Rutulos in dictâ legatorum oratione, his verbis:

*Vos per culta diu Rutula primordia gentis
Laurentemque larem, & genitricis pignora Troia,
Conseruate pios.*

*————— Vetus incola Dauni
Testor vos fonteis & stagna arcana Numici.*

40 Sic item lib. VIII:

*Faunigenæ socio bella invasere Sicano,
Sacra manus, Rutuli, servant qui Daunia regna,
Laurentique domo gaudent & fonte Numici.*

Hinc passim per omne opus ipsos Romanos vocat Rutulos. Lib. XII; ubi bellum civile innuit in Africâ inter Cæsarem & Scipionem gestum

Et Zama, & uberior Rutulorum sanguine Thapsus.

Ipse Cæsar auctor est in libro de Africano bello, se & obsedisse Scipionis præsidium Thapsi, & prælia ante opidum conseruisse. Silius porrò lib. V:

50 *Occumbit Bogus; infaustum qui primus ad amnem
Ticini rapidam in Rutulos contorserat hastam.*

Lib. VIII, de prælio Cannensi:

*Sternuntur tellure & miles & arma tubaque,
Atque omnis retro statu occursante refertur
Lancea, & interdum Rutulis cadit irritus ictus.
Atque idem status Paenorum tela secundat.*

Lib. X: *Atque ea dum Rutulis turbatâ mente geruntur,
Lustrabat campos, & seve tristia dextra*

*Facta recensēbat, pertractans vulnēra visu
Hannibal,*

Lib. XIII, de Claudio Romano, quem Taurea Campanus ad singularem pugnam provocaverat:

*At non idem animus Rutulo. Mox:
Nec Rutulus levior cedentis perdere terga.*

Lib. XV, ubi Fabius Tarentum urbem recuperat:

*Namque ut compertum, qui Punica signa regebat,
Femineā exūri flammā, tacitusque quiete,
Exin virtuti placuit dolus, ire sorori:
Nam castris erat in Rutulis germanus amata:
Cogitur & magnis muliebria vincere corda
Pollicitis, si reclusas transmittere portas
Concedat Libycus rector. votique potitus
Erecto Fabius Pano, circumdata telis
Incusoditā penetravit mētia nocte.*

10

Et eodem libro postea Hasdrubal sic suos milites cohortatur:

*Per decora extremo vobis quaesita sub axe,
Per fratris laudes oro, venisse probemus
Germanum Hannibalis. Latio fortuna laborat
Adversis documenta dare, atque ostendere, quantus
Verterit in Rutulos domitor telluris Iberae,
Svetus ad Herculeas miles bellare columnas.*

20

Et aliquanto post:

*Iamque inclinabant acies: cunctisque pavorem
Gallorum induerat pavor: & fortuna ruebat
Sidonia, ad Rutulos Victoria verterat alas.*

Lib. XVI Numidarum dux Masanissa ita adloquitur Scipionem, Romani exercitus ducem:

*Caelestum monita & sacra responsa parentis,
Disque tua, o Rutulum rector, gratissima virtus,
Avulsam Tyris huc me duxere volentem.*

30

Et sine eiusdem libri, ubi Scipio in senatu Romano svadet, Carthaginem ex Italia transferendum esse bellum:

*Tum verò pulset nostras iterum improbus hostis
Ariete Sidonio turreis, si templa suorum
Non ante audierit Rutulis crepitantia flammis.*

Denique quum Turni, Rutulorum regis, pater, ut supra intellectum, esset Daunus; Daunios quoque adpellavit Romanos lib. V, ubi vincuntur ab Hannibale ad Trasymenum lacum:

*Denec pulsa vagos cursus ad litora verterit
Mentis inops, stagnisque latebat Daunia pubes.*

40

Virgilius Aeneid. lib. XII, ubi pugnam inter Aeneam Turnumque improbant Rutuli, & ipse quidem hos adpellat Laurentis; sed, contrarius jam supra scriptis locis, disertè inter eos atque Latinos distingvit, hoc versu:

Ipsi Laurentes mutati, ipsique Latini.

At qui hoc facere potuerit Virgilius, nondum ego perspicio; siquidem Laurentum ipse ubique Latini regis facit regiam. Distingvit tamen & postea inter Rutulos & Latinos, hoc versu:

Parcite jam Rutuli, & vos tela inhibete Latini.

Et lib. VII; ubi Turnus Troianis simulque Latinis minatur bellum:

Se satis ambobus Teucrisque venire Latinisque.

50

Supra scripto lib. XI disertissimis verbis testantem introducit Latinum, Rutulos sibi esse subjectos; eosque cum Auruncis se velle dare Aeneæ. nihilo minus tamen postea lib. XII apertè idem Latinus rex testatur, separatam habere Turnum ab sua ditione regnum. verba eius hæc sunt:

*Sunt tibi regna patris Dauni, sunt opida capta
Multa manu.*

Hinc

Hinc illa etiam Amatae reginae oratio ad Latinum lib. VII:

*Quid tua sancta fides, quid cura antiqua tuorum,
Et consanguineo toties data dextera Turno?
Si gener externam petitur de gente Latinis;
Idque sedet; Faunisque premunt te iussa parentis:
Omnem equidem, sceptris, terram, qua libera nostris
Disidet, externam reor: & sic dicere divos.
Et Turno, si prima domus repetatur origo,
Inachus Acrisiusque patres, mediaque Mycenæ.*

- 10 Sed heic tamen unum Turnum solummodo; non verò Rutulorum gentem, à Latino-
rum nomine eximere videtur. Dionysius lib. I, antiquissimos sequutus auctores,
tradit, postquam fœdus inter Latinum, & Aeneam ictum fuisset, conjunctis copiis
Latini imperio subactos fuisse Rutulos: paullo post autem rursus defecisse, Turno
auctore atque duce. Σωθήμενοι δὲ πάντες, inquit, κοινήν ἐπέδωκεν Ἰππὶ τὰς πόλεις τῶν Ῥυτῶ-
λων. δι' ὀλίγα δὲ ἑταίροις χερσὶν αὐτοῦ, παροῦσαν Ἰππὶ τὸ πᾶσιμα τὸ Τρωικὸν ἡμίτελλον, ἔκειτο
σποδυμῆα πάντες χερσὶν αὐτοῦ. ὄνομα δὲ τῶ κλισματι Λαίνιας ἤθε' Λακίνοιον, διότι ἡ Λα-
λίνια θυγατὴρ, ἢ Λακίνας εἶναι φασὶ τεύχεα. * — * — * Λαίνιας ἢ καλοῦσθαι ἴστροις
πᾶσι τοῖς ἄλλοις ἰστροῖς ἀποχρῶντος τῶ πόλιν, τῶ μὲν ἐξῆς ἐκινῶν, ἄρτια δὲ διὰ τὸ ἐξ ὄψε Τρωῶν
ἐκασίλωσε μόνον. τῆ δὲ πᾶσι πᾶσι τῶν Λαλίνιας, ἢ τῶν ἐκείνης βασιλείας ἑταίρων, ἢ
πᾶσι τῶν ἐκείνης ἐκείνης τῶν ἀπὸ τῆς Λακίνας θυγατὸς μὲν τῶν Λαλίνιας θάνατον, ἔπειτα
ἀστυγίπνας πόλεμα τῶν στρατηγίας ἐνεκα. ἀπέστησαν γὰρ αὐτῆς διὰ τῶν Λαλίνιας Ῥυτῶλοι, λαβόντες ἡγε-
μόνα τῶν ἀπομῶν ἴνα, ἢ Λαλίνιας θυγατὸς Ἀμάτης ἀνεκόν, ὄνομα Τυρῶνον. ὁ δὲ αὐτῶν ἔστ' Ἰππὶ
τῶν γὰρ τῶν κηδεστῶν μεμφίδου, ὅτι παρελθὼν τὸ συγγενὲς ὀδυρῆς ἐκηδύσε, ἢ τῶν Ἀμάτης πα-
ροξυσσῶν, ἢ ἄλλων ἰστροῦν συλλαμβανόντων, ἄγων τῶν δυνάμειν ἢς αὐτῶν ἤρχε, σποδυμῆα τῶν Ῥυτῶ-
λοις. πόλεμα δὲ ἐκ τῶν ἐκείνων τῶν ἡγεμόνων, ἢ μάχης ἰστροῦν, Λακίνας μὲν διὰ τῶν ἰστροῦν
Τυρῶν ἢ τῶν ἄλλων συγγενῶν κηδεστῶν ὄνομα ἴστρον. ἐκ τῶν τῶν τῶν κηδεστῶν ἰστροῦν
μὲν δὲ τῶν Λαίνιας ἢ καλοῦσθαι. Hoc est: Hec partem, communibus copiis expeditionem
in Rutulos faciunt. brevique, captis universis eorum opidis, revertuntur ad semiperfectum
Troianorum opidum: & pari id alacritate muniunt. nomen ei Aeneas indidit Lavinium,
à Lavinia, Latini filia. Postea: Caterum Aeneas, postquam templis aliisque ornamentis
id opidum satis instruxit; sequenti quidem anno, hoc est post discessum suum tertio, Troia-
norum tantum rex fuit. quarto autem anno, defuncto Latino, etiam huius regno potitus est:
tum ad finitatis jure, quod post Latini obitum ad solam Laviniam universa pervenisset heredi-
tatis: tum, quod belli adversus finitimos dux esset designatus. quidam Rutuli denuò à Latino
defecerant; ductu cuiusdam transfuga. is erat Turnus, consobrinus Amatae, Latini
conjugis. qui propter Lavine nuptias elocantem Latinum incusans, quod, prateritis cogna-
tis, exterum sibi adscivisset generum; Amata quoque instigante, & aliis quibusdam faventibus;
cum militum manu, cui praeerat, ad Rutulos transierat. Ex his igitur causis redinte-
grato bello, & commisso acri praelio, Latinus cecidit atque Turnus, cum multis aliis. at
Aeneas & victoriam consequutus est & regnum soceri. Sex. Aurelius Victor, in libro
de Origine gentis Romanae, & ipse historiae huius Romanos citat auctores. Itaque
captum, inquit, à Troianis muniri locum: quem Aeneas ex nomine uxoris suae, Latini re-
gis filiae, quae jam ante desponsata Turno Herdonio fuerat, Lavinium cognominavit. At
verò Amatae, Latini regis uxorem, quum indignè ferret, Laviniam, repudiato Turno
consobriano suo, Troiano advenae collatam; Turnum ad arma concitavisse, eumque mox,
coactò Ruinulorum exercitu, tetendisse in agrum Laurentem; & adversus eum Latinum pa-
riter cum Aeneae progressum, inter praeliantes circumventum occisumque. Nec tamen,
amisso socero, Aeneas Rutulis obsistere desit. namque & Turnum interemit; & hostibus
suis fugatisque, victor, Lavinium se cum suis recepit: consensuque omnium Latinorum rex
declaratus est: ut scribit Lucatius lib. III. Livius lib. I, postquam de adventu Aeneae
ad Italiam, deque opido ibi condito, cui Lavinium nomen ab regis Latini filia, uxore
sua imposuisse dicitur, narravit; Bello, inquit, deinde Aborigines Troianique simul peti-
ti. Turnus, rex Rutulorum, cui parva Lavinia ante adventum Aeneae fuerat, praelatum
sibi advenae agrè patiens, simul Aeneae Latinoque bellum intulerat. Neutra acies lota ex
eo certamine abiit. victi Rutuli. victores Aborigines Troianique ducem Latinum amisere.
Inde Turnus Rutulique, diffisi rebus, ad florentes Etruscorum opes Mezentiumque, eo-
rum regem, confugiunt. Occubuisse in ultimo hoc bello Aeneam, filiumque eius

Ascanium in regno ei successisse, Livius juxtâ cum Dionysio & Sex. Aurelio Victo-
re tradit. at nemo eorum ostendit, quid porrò inter Latinos Rutulosque factum: in
pacem & unum imperium coierint; an verò diversa semper atque inter se discre-
ta gentes manserint. quamquàm Livius lib. III etiam *Rutulorum* ut alienæ ab La-
tinis Romanisque gentis meminit, in consulatu M. Fabii Vibulani & Posthumi Ae-
butii Helvæ Cornicinis: id est, anno urbis Romæ CCCXIII; ut mox infra in descri-
ptione urbis *Ardea* videbimus. Ex hæcenus igitur allatis auctororum testimoniis om-
nino statuendum est, fuisse Rutulos gentem à Latinorum genere, quod Græcæ
fuisse originis suprâ ostensum est, planè diversam atque discretam; donec & ipsi, si-
mul cum Volscis, Ausonibus, Hernicis, & Aequis, bello superati, sub unum Latii ¹⁰
nomen redacti fuere. Hinc Plinius lib. III cap. v: *Latium antiquum à Tiberi Circeios*
usque observatum est, millium passuum L longitudine. tam tenues primordio imperii fuere
radices. Colonis sæpè mutatis, tenuere alii aliis temporibus; Aborigines, Pelasgi, Arcades,
Siculi, Aurunci, Rutuli. Et ultra Circeios, Volsci, Osce, Ausones. unde nomen Latii pro-
cessit ad Lirim amnem. Et Strabo lib. v: Οἱ δὲ οὐδὲ Λατίνοι κατὰρχαὶ μὲν ἦσαν ὀλίγοι, καὶ οἱ
Πελαῖοι ἀποσείχοντο Ῥωμαίοις. ὕστερον δὲ κατὰ πλεονεξίαν τὴν ἀρετῆν ἔτι Ῥωμαίων καὶ τῶν μετ' ἐκείνων
Βασιλείων, ἡ πᾶσι πάντες ἠσπῆσαν. κατὰ λυθῆντων δὲ τῶν Λατῶν καὶ τῶν Οὐλοσκῶν καὶ Εὐρυκῶν,
ἐπὶ πλεονεξίαν τῶν Ἀσκανίων καὶ Ἄσκανίων, ἢ τῶν τῶν ἑσθῆν Λατῶν ἀποσείχοντο. Hoc est: Latini ab
initio erant pauci: ac plerique Romanis non obtemperabant. successu tamen temporis virtu-
te Romuli & eorum, qui post eum regnare, perculsi, universi in imperium eorum cesserunt. 20
Domitii porrò Aequis, Volscis, Hernicis, & ante hos etiam Rutulis atque Aboriginibus; omnis
horum ager Latium adpellatus fuit. Livius circa finem libri primi, in rebus Tarquinii
Superbi, postremi Romanorum regis: Reditum inde Romam. ubi adversus Rutulos bel-
lum summâ vi parabatur. Ardeam Rutuli habebant; gens, ut in eâ regione atque in
eâ ætate, divitiis præpollens. eaque ipsa causâ belli fuit: quòd rex Romanus tum
ipse ditari, exhaustus magnificentiâ publicorum operum, tum prædâ delinire popu-
larium animos studebat. Dionysius lib. v; ubi omne illud antiquum Latium pro re-
ducendis Tarquiniiis contra Romanos conspirabat: Ῥόδοι δὲ Λατίνοι μὲν Ἰππεύσαν
πέμπη ἀντιπύρρον ἠσπῆσαν. Ῥωμαίοις δὲ, ἀπὸ βασιλευσάντων κατὰ λυθῆντων τὴν ἐχθρῶν, καὶ σφῶν
μετρωτέρως περιεζήσαν Λατῶν ἑσθῆσαν, καὶ τὰς συμβάσεις αὐτοῖς ἀσπῆσαν. Id est: Rutuli La-
30 zinis auxilium discretè polliciti sunt. at Romanis tamen promittebant. si ponere inimicitias
vellent; se suâ intercessione Latinos ipsis reddituros aequiores, pacemque conciliaturos. Zo-
naras Annal. lib. II, de M. Furio Camillo, in exilium abeunte: Ἐκείνῳ μὲν οὐδὲ πρὸς
Ῥωμαίους μετῆσι. id est: Ille ad Rutulos se contulit. Livius lib. v: Proscitenteis Gallos ab
Urbe ad Romanam experiendam virtutem fortuna ipsâ Ardeam, ubi Camillus exsulabat,
duxit. Caterum de genere atque origine Rutulorum nihil apud auctores dispicio.
Turni patrisque eius Dauni genus, quod quidam, ut suprâ intelleximus, ex Græciâ
deduxerunt, id fortè ad urbis modò Ardea, non verò gentis, in qua ea condita,
conditores referendum est. Fines agrorum admodum, ut suprâ dixi, fuere angu-
sti, intra Numicium amnem, Lanuvium, ac Coriolos, & Antium, opida conclusi. 40

ARDEA.

Oram igitur maritimam sic describit Plinius lib. III cap. v: *Opidum Laurentum, Lu-*
cus Iovis Indigetis, amnis Numicius: Ardea, à Danaë, Persei matre, condita: dein quondam
Aphrodisium: Antium colonia. Mela lib. II cap. IIII, adverso incedens litore: Antim,
Aphrodisium, Ardea, Laurentum. Sic equidem istis duobus geographis ARDEA opi-
dum in orâ maritimâ commemoratur: hand satis proprie: quum nomen id vicus
etiam nunc retineat in mediterraneo, circiter v millia passuum à mari recedens.
unde meritò inter mediterranea Latii opida à Ptolemæo recensetur. nec ponitur
Itinerariis antiquis in itinere inter Ostiam & Antium. Hinc etiam Strabo lib. v:
Ἄρδεα κατὰ τὴν Ῥωμαίων, ἀπὸ ὁ ἑσθῆσαν ἀπὸ Ἰαλίας. Id est: Ardea, Rutulorum domici-
lium, LXX à mari stadia recedens. Id est, millia passuum VIII, duobus stadiis minus. 50
Nescio, an in tantum aberraverit Strabo, aut scriptum ab eo fuerit v stadia, L sta-
dia: id est, millia vi cum passibus CCL. Haud multo antea ita scripsit: Ἀσκανίου Ἄλ-
βαν ἐκδοτὸς ἐν τῷ Ἀλβανῷ ὄρει, ἀπὸ τῶν Ῥωμαίων, ὅσον καὶ ἡ Ἄρδεα. Hoc est: Ascanius
Albam condidit in monte Albano: qui tanto à Româ abest intervallò, quanto Ardea. Hoc
tandem satis rectè; si à Româ ad summum usque Albani montis verticem mensu-
ram agas; non verò ad locum Albæ: quæ in imis fermè radicibus sita fuit. in sum-
mmum verticem millia passuum sunt circiter xx. unde idem Strabo paullo antè:

Στάδιον

Ἰταλίας δὲ εἰς τὸν δὸν τῆς Ἀρδεῖς εἰς τὴν Πάριον γῆν. id est: Stadia sunt ab Ardea Romam usque CLX. hoc est, millia passuum XX. Hoc sanè rectius, quàm quod Eutropius lib. I, de Tarquinio Superbo loquens: Postea Ardeam oppugnans, in octavodecimo milliario ab Urbe positam civitatem, imperium perdidit. De cætero, conditricem huius opidi facit Plinius, ut paullo antè intelleximus, Danaën, Persei matrem. unde epitomator eius Solinus cap. VIII: Quis ignorat, conditam à Danaë Ardeam. & Martianus Capella lib. VI: Hoc loco possem etiam urbium percurrere conditores: ut, à Iano Ianiculum, à Saturno Latium, à Danaë Ardeam, ab Hercule Herculanium. Item Virgilius Aeneid. lib. VII:

10 Protinus hinc fuscis tristis dea tollitur alis
Audacis Rutuli ad muros. quam dicitur urbem
Acrifionis Danaë fundasse colonis,
Precipiti delata Notus locus Ardea quondam
Dictus avis. Et nunc magnum manet Ardea nomen.

Fabulam de ave ardea Ovidius quoque habet in Transformationum lib. XIII: ubi fingit, Ardeam urbem, ab Aeneâ captam atque incensam, in avem eius nominis fuisse conversam. Verba eius hæc sunt:

— Tandemque Venus victricia nati
Arma videt; Turnusque cadit: cadit Ardea, Turno
20 Sospite dicta potens. quam postquam barbarus ensis
Abstulit, & tepidâ patuerunt tecta favilla;
Congerie è mediâ tum primum cognita præpes
Subvolat, & cineres plausis everberat alis
Et sonus & macies & pallor, & omnia, captam
Quæ deceant urbem, nomen quoque mansit in illâ
Vrbis: & ipsa suis deplangitur Ardea pennis.

Servius ad præscriptum locum Virgilio: Hyginus in Italicis urbibus ab augurio avis Ardeam dictam vult. Ipse Virgilius ibidem paullo antè:

30 Et Turno, si prima domus repetatur origo,
Inachus Acrifusque patres, mediaque Mycena.

Ad hæc Servius: Danaë, Acrifii, regis Argivorum, filia, postquam est à Iove vitata, pater eam intra aream inclusam precipitavit in mare. qua delata ad Italiam, inventa est à piscatore cum Perseo, quem illic enixa fuerat; & oblata regi Pilumno; qui eam sibi fecit uxorem: cum qua etiam Ardeam condidit: à quibus Turnum vult originem ducere. Virgilius Aeneid. lib. VIII:

— Luco tum fortè parentis
Pilumni Turnus sacratâ valle sedebat.

Ad hæc Servius: Pilumnus & Pithumnus fratres fuerunt, & dii. horum Pithumnus usum stercoreandorum invenit agrorum; unde & Sterquilinius dictus est: Pilumnus verò pin-

40 sendi frumenti: unde & à pistoribus colitur ab ipso etiam pilum dictum est. Quidam Pilumnus & Pithumnus Castorem & Pollucem accipiunt. nonnulli laudum deos. Varro conjugaleis deos suspicatur. Nonius Marcellus cap. XII: Pilumnus & Picumnus dii præstes auspiciis conjugalibus deputantur. Varro de Vita populi Romani lib. II: Natus si erat vitalis, sublatus ab ostetricæ statuebatur in terrâ; ut auspicaretur rectus esse: ac diis conjugalibus Pilumno & Picumno in adibus lectus sternebatur. Virgilius Aeneid. lib. X:

Indignum est, Italos Troiam circumdare flammis
Nascentem, & patriâ Turnum consistere terrâ;
Cui Pilumnus avus, cui diva Venilia mater.

Ad hæc Servius: Varro Pilumnus & Picumnus infantium deos esse ait eis que pro puer-

50 perâ lectum in atrio sternt, dum exploretur an utilis [omnino scribendum, ut est apud Nonium, vitalis] sit, qui natus est. Piso, Pilumnus dictum, quia pellat mala infantia. Sed Pilumnus idem Stercutus: ut quidam dicunt: qui propter pilum inventum, quo fruges confici solent, ita adpellatus est. Si ergo proavus Latini est; non [est] Turni avus, nam Stercuti Picus, Pici Faunus, Fauni Latinus est filius. Atqui & omnes alii & simul ipse Virgilius patrem Pici facit Saturnum. Aeneid. lib. VII:

— Fauno Picus pater. isque parentem
Te, Saturne, refert: tu sanguinis ultimus auctor.

Hinc

Hinc Macrobius Saturnalior. lib. vii: *Cyrenenses etiam, quum rem divinam ei faciunt, ficiis recentibus coronantur; placentiasque mutuo missitant; mellis & fructuum reperitorem Saturnum astimantes. Hunc Romani etiam Stercutum vocant: quod primus stercore fecunditatem agris paraverit. Ergo Pylumnus iste nihil ad Turnum pertinebat. totaque hæc res de Danaë ac Perse ad Italiam adpulsu fabulosè conficta est. Hinc longè aliam de iis conscripsere historiam alii fabulatores. Hyginus μυθολογικῶν cap. lxiij: Danaë, Acrisii & Aganippes filia. huic fuit fatum, ut, quod peperisset, Acrisium interficeret. quod timens Acrisius, eam in muro lapideo præclusit. Iovis autem, in imbrem aureum conversus, cum Danaë concubuit: ex quo compressu natus est Perseus. quam pater ob stuprum inclusam in arcâ cum Perseo in mare dejecit. Ea voluntate Iovis delata est in insulam Seriphum. quam piscator Dictys quum invenisset; effractâ, vidit mulierem cum infante. quos ad regem Polydectem perduxit. qui eam in conjugio habuit: & Perseum educavit in templo Minervæ. quod quum Acrisius rescisset, eos ad Polydectem morari; repetitum eos profectus est. quod quum venisset; Polydectes pro eis deprecatus est. Perseus Acrisio, avo suo, fidem dedit, se eum numquam interfectorum. qui quum tempestate retineretur, Polydectes moritur. cui quum funebreis ludos facerent; Perseus disco missis, quem ventus distulit in caput Acrisii, eum interfecit. ita, quod voluntate sua noluit, deorum factum est. Sepulto autem eo, Argos profectus est; regnaque avita possedit. Eamdem ferè fabulam de Danaë ac Perseo narrat & Apollodorus de Diis lib. ii. Ex opinione igitur eorum, à quibus eam historiam habuere Apollodorus Hyginusque, numquam in Italiam pervenit Danaë. De Venilia item, quam Turni matrem facit Virgilius, ita scribit ibidem Servius: *Hanc Veniliam quidam Salaciam accipiunt, Neptuni uxorem. Salaciam à salo; Venilia, quod veniam det exigentibus. Alii igitur alium conditorem Ardeæ prodidere. Dionysius lib. i: Ζεναγόρας ἢ ὁ συρραφῶς ἰσορεῖ, ὁ δούσιος καὶ Κίρκης ὑδὲ ἡνείκα τρεῖς, Ῥώμιον, Ἀΐλιον, Ἀρδέαν. Οἰκίσας τὰς ἡνείκα πάλαι, ἀφ' ἐαυτῶν ἴδουσι τὰς κτισμασι τὰς ὀνομασίας. Id est: Xenagoras historicus tradit, Vlyssi & Circes treis fuisse filios, Romum, Antiam, atque Ardeam. hos conditis tribus urbibus à se imposuisse nomina. Stephani epitomator: Ἀρδέα κατωκία, ἢ Ἰπυλία. Στεράθων πέμπτη ἐκλήθη ἀπὸ ἐνὸς τῶν πύδων Ὀδυσσεύς καὶ Κίρκης. αὐτὴ Τροία ἐλέγετο ὡς Χάραξ. Id est; Ardea, opidum Italia; teste Strabone lib. v. Nomen accepit ab uno filiorum Vlyssi atque Circes. Hæc Troia vocabatur: ut auctor est Charax. Eum locum, in quem primum egressus ferebatur Aeneas, in opidi modum communitum, adpellatum fuisse Troiam, suprâ cap. ii huius libri iii intelleximus. at egressum fuisse Aeneam, alii tradidere, ad ostium Tiberis amnis; alii, haud procul Laurento; ubi Lavinium opidum condidisse fertur. De Ardeâ itaque, miror, unde id habuerit Charax. Sed summa huius opidi antiquitas satis inde perspicitur, quod originem eius fabulis illis antiquissimis de Danaë atque Circe involverunt scriptores Græcorum vetustissimi. unde & illud Strabonis dicto lib. v: Ἀβοργῖνες τε, οἱ περὶ τὴν Ῥώμιον, καὶ Ῥαυτοί, οἱ τὴν Ἰπυλίαν Ἀρδέαν ἔχοντες. Hoc est: Aborigines, qui circa Romam incolebant; & Rutuli, qui antiquam tenebant Ardeam. Nec equidem ego dubitaverim, quin Græca aliqua colonia, Rutulorum littori classe adpulsâ, opidum hoc condiderit. quo autem tempore, quoque duce id factum sit, minimè dispicio. nec temerè adfirmaverim, Aborigines atque Pelasgos, id est, Latinos, subactâ armis Rutulorum gente, coloniam huc deduxisse sui generis, id est, Argivam. Cæterum opidani inde dicuntur Græcis auctoribus Ἀρδείων, Latinis ARDEATES. Livio autem lib. lxxxv & Columellæ lib. lxxxv cap. viii item Senecæ epist. cv dicitur ARDEATINVS ager: & Livio ibidem Ardeatinum sædus: auctori autem Vitæ Pomponii Attici Ardeatinum prædium. Coloniam Romanos huc deduxisse anno urbis suæ cccxiii, M. Fabio Vibulano & Posthumo Aebutio Cornicine consulibus, auctor est Livius dicto lib. lxxxv. Fabius, inquit, & Aebutius consules senatus consultum fecerunt, ut, quoniam civitas Ardeatinum intestino tumultu redacta ad paucos esset, coloni eò presidii causâ adversus Volscos scriberentur. Consenserant autem, ut, multo maiore parte Rutulorum colonorum, quam Romanorum, scriptâ, nec ager ullus divideretur, nisi is, qui interceptus iudicio infami erat; nec ulli prius Romano ibi, quam omnibus Rutulis divisus esset, gleba ulla agri assignaretur. Triumviri ad coloniam Ardeam deducendam creati, Agrippa Menenius T. Clælius Siculus, M. Aebutius Helva. Annus hic fuit primus Olympiadis lxxxv. At auctor ἀνώνυμος Olympiadum quinquennio post eam deductionem**

ductionem refert. Ολυμπίადος, inquit, πρὸς ἔτη β' ῥωμαίους Ἀρδεῖαν δόποιον ἀπέστειλαν. Id est: Olympiadis LXXXVI anno II Romani Ardeam colonos miserunt. Hinc Livius lib. xxvii & xxviii inter XII colonias, quæ bello Hannibamico consulibus negaverunt esse, unde milites pecuniamque darent, Ardeam quoque connumerat. Sed & ipsa quondam coloniam in Hispaniam usque misit, quæ illic Saguntum dicta est. Livius lib. XXI: Saguntum summâ vi oppugnabatur. civitas ea longè opulentissima ultra Iberum fuit. oriundi à Zacyntho insulâ dicuntur: missique etiam ab Ardeâ Rutulorum quidam generis. Apud Silium lib. I legati Saguntinorum ita Romanis supplicant in senatu:

10

Vos per culta diu Rutula primordia gentis
Laurentemque larem & genericis pignora Troia
Conseruate pios, qui permutare coacti
Acrisionis Tyrinthia culmina muris.
— Vetus incola Dauni
Testor vos fonteis & stagna arcana Numici:
Quum felix nimium demitteret Ardea pubem
Sacra domumque ferens & avi penetralia Turni
Ultra Pyrenen Laurentia numina vexit.

Cæterum de agro Ardeatino hæc adnotavit Strabo dicto lib. V: Ἀπὸ τοῦ ἢ ἡ Λατίνῃ ἐστὶ δὲ δαίμων καὶ πεμφθῆσθαι, πλεῶν ὀλίγων χωρίων, ἢ καὶ τὴν ἑρμιόλιαν, ὅσαι ἐλάδῃ καὶ νοσσοῦσι, οἷα καὶ τὰ Ἀρδεατῶν καὶ μετὰ τὸ Ἀντίου καὶ Λαυινίῃς, μέγλη Πομπηνα. Hoc est: Omne Latium felix est, & omnium rerum ferax; exceptis paucis quibusdam locis maritimis, quæ palustria sunt atque morbosæ; qualis est Ardeatinum ager, & quod est inter Antium & Lavinium, usque ad Pomertinum campum. Hinc illud Senecæ Epist. CV: Quæ observanda tibi sunt, ut tutior vivas, dicam. Tutamen sic audias, censeo, ista præcepta, quomodo si tibi præciperem, qua ratione bonam valetudinem in Ardeatino tuerevis. Et item istud Martialis lib. III epigram. LX:

30

Ardea solstitio Castranaque rura petantur,
Quique Cleoneo sidere fervet ager:
Quum Tiburtinas damnet Curiatius auras,
Inter laudatas ad Styga missus aquas,
Nullo fata loco possis excludere. quum mors
Venerit, in medio Tibure Sardinia est.

Quum Curiatius iste, gravi morbo adflictus, convalescere Tibure nequireret, cælum atque aërem accusabat Tiburtinum. At poeta ait, non id vitio Tiburtinæ auræ, sed fato Curiatii fieri; quod videretur jam mortem illi immittere. quæ quum venerit, nihil interesse, utrum in saluberrimo versetur Tiburtino agro, an verò in pestilentissimi cæli Sardinia. Itaque dignum esse, uti in morbosum Ardeatinum Castranumque mittatur agrum, qui tam indignè de saluberrimâ Tiburtinâ aurâ queratur.

40

Cæterum aquæ medicatae visuntur prope Ardeam frigidorum fontium, quæ haud dubiè vulgò dicebantur olim AQVAE ARDEATINAE; Vitruvio autem lib. VIII cap. III sunt FONTES SVLPVRATI. Sunt etiam, inquit, odore & sapore non bono frigidi fontes, qui, ab inferioribus locis penitus orti, per loca ardentia transeunt; & ab his per longum spatium terra percurrentes, refrigerati perveniunt supra terram, sapore, odore, coloreque corrupto; ut in Tiburtinâ viâ flumen Albula; & in Ardeatino fontes frigidi eodem sapore, qui Sulphurati dicuntur. Fontes hi exiguum efficiunt lacum; qui videtur cognominatur fuisse TVRNI LACVS. Columella Rusticar. rer. lib. X:

Et Turni lacus, & pomosi Tiburis arva.

50

Inter Ardeam & Antium, cuius promontorium apud Neptunium opidum vulgò vocatur Capo d'Anzo, APHRODISIVM illud, id est, VENERIS TEMPLVM, Mela atque Plinio in litore memoratum, in eodem fuisse puto Rutulorum agro: sic quidpe Strabo dicto lib. V: Ἀρδεῖα, κατωκία Ῥυτέλων. ἐστὶ ἢ καὶ τούτῃ ἀληθῶς Ἀφροδίσιον, ὅπερ πανήγυρις ἔστι Λατίνου. Id est: Ardea, Rutulorum domicilium. prope hanc est etiam Aphrodisium; ad quod Latini solennem agitant conventum. Plinius lib. III cap. V: Opidum Laurentum, Lucus Iovis Indigetis, amnis Nymicius; Ardea: dein quondam Aphrodisium: Antium. Mela lib. II cap. III, adverso incedens litore: Antium, Aphrodisium, Ardea, Laurentum. Sed Aphrodisium hoc jam Plinii ætate non existisse, disertè patet ex

AQVAE ARDEATINAE; qui
& FONTES
SVLPVRATI,
& TVRNI
LACUS.

APHRODISIVM, seu
TEMPLVM
VENERIS.

ret ex voce quondam. Fuerat fortè circa S. Anastasiæ fanum, quod vocant; IIII circiter millia ab Ardeâ.

Fuit præterea hoc tractu CASTRUM INUI opidum; Virgilio, Ovidio, Silioque memoratum. à quo Martiali loco proximè scripto opidani dicuntur CASTRANI. Apud Virgilium Aeneid. lib. VI Anchises Aeneam filium apud inferos de futuris Albanis regibus ita docet:

Hi tibi Nomentum & Gabios urbemque Fidenam,

Hi Collatinas imponent montibus arceis;

Pometios Castrumque Inui Bolamque Coramque.

Hæc tum nomina erunt. nunc sunt sine nomine terra.

Ad hæc ita Servius: *Castrumque Inui. Vna est in Italia civitas: Castrum novum dicitur. de hac autem ait Castrum Inui, id est, Panos, qui illic colitur. Inuus enim Latinè adpellatur, [qui] Græce Πάν; item ΕΨιάλης Græcè, Latinè Incubus. idem Faunus; idem Fatuus, Fatuellus. Dicitur autem Inuus, ab eundo passim cum omnibus animalibus. unde & Incubus dicitur. Haud ampliùs extitisse Servii tempestate hoc Castrum Inui in Rutulis, seu Novo Latio, ex eo patet, quòd unam tunc in Italiâ civitatem ait fuisse, nomine Castrum novum. quam per summum errorem putavit esse idem opidum, quod Virgilio heic Castrum Inui dicitur: quum istud Castrum novum, apud quod idem colebatur deus Pan, seu aliis nominibus, Silvanus, Inuus, Faunus, Incubus, unde illi fons erroris, in Tusco fuerit litore, haud procul Centumcellis, quæ nunc vulgò *Cività vecchia* vocatur; ut suprà lib. II cap. II abundè ostensum. nam Albanis regibus nihil rei vel imperii esse potuit tam procul ab Albâ suâ Longâ, in Etruriâ. satis verò disertè Castrum Inui Virgilius inter alia Latii opida computat. unde etiam perpetuus ille Virgilii imitator Silius, & ipse disertissimis verbis in hoc circa Numicium amnem & Ardeam litore id ponit lib. VIII, his versibus:*

Sacra manus Rutuli, servant qui Daunia regna,

Laurentique domo gaudent, & fonte Numici:

Quos Castrum Phrygibusque gravis quondam Ardea misit.

Hinc & illud Martialis, quod paullo ante citavimus ex lib. IIII epigr. LX:

Ardea solstitio Castranaque rura petantur;

Quique Cleonao sidere fervet ager.

Heic equidem pleraque exemplaria habent Pæstanaque rura. verùm potiore esse fidem eorum, quæ habent Castrana, cum ex Silio patet, tum verò maximè ex Ovidio: qui & ipse disertissimè Castrum opidum inter Antium collocat & Lavinium *Μεταμορφώσεων* lib. XV; ubi de Aesculapii dei, è Græciâ Romam devecti, navigatione ita tradit.

Hinc calidi fontes lenificiferumque tenetur

Linternum, multamque trahens sub gurgite arenam

Vulturnus, niveis que frequens Sinuessa colubris,

Minturna que graves, & quam tumularvit alumnus,

Antiphata que domus, Trachas que obsessa palude,

Et tellus Circa, & spissi litoris Antium.

Huc ubi veliferam nauta advertere carinam,

(Asper enim pontus erat) deus explicat orbis:

Perque sinus crebros & magna volumina labens,

Templa parentis inis, flavum tangentia litus.

Aequore placato, patrias Epidaurius aras

Linqvit; & hospitio juncti sibi numinis usus,

Litoream tractu squamma crepitantis arenam

Sulcat; & innixus moderamine navis, in altâ

Puppe caput posuit; donec Castrumque sacrasque

Lavini sedes Tiberinaque ad ostia venit.

Ardeam inter Antium & Lavinium videtur noluisse nominare, quia à litore paullo remotior erat. Fuisse autem Castrum Inui in Rutulorum agro, ex Silii maximè præscripto loco colligo. Collocandum igitur cenfeo inter prædictum Aphrodisium & Volscorum opidum Antium. Atque hæc ferè sunt opida locaque à veteribus auctoribus in Rutulorum finibus memorata.